



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 4. Plebejos non abhorreat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

tem mirè laudabat. Utroque defuncto uxor Domini, dum sola in Capella orat, videt hominem formâ ignitâ & terribili, qui portabat alium dorsò suò similis formæ. Cui timentî maritus: nè timeas; ego sum maritus tuus; & bajulus meus est Confessarius meus: qui, sicut viventem supportavit in culpa, ita mortuum portat in pœna. Summa Prædic. Confess. mollis.

§. III.

Qualis Confessarius eligendus?

Ne subjicias te omni homini pro peccato. Eccli. 4. 31. Lyr. delectus habendus in Confessione; nec cuius Confessario aperienda peccata: multi enim stipites venantur, quibus dici posset illud Ol. 4. 12. *populus meus in ligno suo interrogavit, & baculus ejus annuntiavit ei.* Medicum quæris in morbo peritum; pro anima vis hebetem: qui, sicut Medici imperiti cœmeterium implent corporibus, ita rudes Confessarii Infernum animabus. P. Octavian in Eccl. c. 4. hic.

§. IV.

Confessarius plebejos non abhorreat.

Pondus super se rollet, qui honestiori se communicat. Eccli. 13. 2. Multi ambiunt aulas Magnatum, ut eorum familiaritate honorati sint, & dignitates, & lucra captent. Verum Siracides hic sapienter idipsum dissuadet. Ubi enim sunt impares, superior vult Dominari inferiori; illique multa imperat, quæ inferior præ metu, & pudore, recusare non audeat: quare potius servus est, quam ami-

cus. Experiuntur & illud pondus Confessarii magnatum, & divitum; qui, præter molestias illis obsequendi, non raro conscientias suas, æquè ac Pœnitentium, periculo æternæ salutis exponunt: dum vel ex metu displicendi, aut placendi, non audent eos monere; sed dissimulant non dissimulanda; laxant non laxanda. Quamto feliciores sunt Confessarii pauperum, qui eos liberè monent, facileque ad omnem sanctitatem promovent. Hi domini sunt, illi servi. Corn. hic.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Matth. 3. 10. Una securis, & idem roigus, cuius plantæ sterili; æquè palma, ac ficus; cerasus, ac malus Punica, Ejectus est Judas, licet Apostolus; Saul, licet princeps; fugatus Cain agricola; damnatus ad greges Nabuchodonosor. Quos ergo Deus conjunxit, homo non separet. Utinam ea recurrent sæcula, quando reginæ (3. Reg. 14. 2.) induebant personam ancillarum! A Jerobbam ad Ahiam missa est uxor personata amictu plebejò. Timuit, nè regina rejiceretur; speravit ancillæ simulatione Dominam admittendam: Caveant Ecclesiarum Ahie, ne rejectis ancillis, forminis Consularibus ancillentur. Oliva l. 11. Strom. §. traxit rete &c.

Collocet se Confessor in arcè, seu speculâ rationis; abstrahens semetipsum; quantum potuerit, ab hominè exteriori; tam in se; quam in aliis; ut spiritu ambulet, & non carne: nè forte, illectus formis corporum; fiat sibi ipsi laqueus perditionis: totus in animarum perspicuenda qualitate spiritualiter invigilet; non attendens distinctionem sexuum, vel formarum: Joan. Gerson tr. de arte aud. Confess.

TITULUS XXVI. CONFESSIO SACRAMEN- TALIS.

§. I.

Figura, & Symbola.

Ex Veteri.

Aperiens Noë fenestram &c. Gen. 8. 6. Sic peccator aperiens fenestrâ cordis, id est, oris, columbinam gementem, simplicem, & sine fuce, confessionem emittit. Illa verò ramum olive portat; id est, veniam, & pacem. Barrad. D. 3. Quadr. t. 2. l. 8. c. 19.

Facies labrum aeneum. Ex. 30. 18. Quod potest exponi de pœnitentiâ; quæ dicitur mare, pro amaritudine contritionis; labium pro confessione. Dicitur etiam aeneum pro constantia, & fortitudine, in labore satisfactionis. Illud labium ponitur inter tabernaculum, & altare. Altare est Ecclesia militans, in qua nos debemus offerre Deo prius lotos per pœnitentiâ, Rom. 12.

i. obsecro vos &c. Tabernaculum est vita æterna, sive cœlestis patria; quod nequaquam transferri poterit, ut dicitur II. 33. 20. Qui ergo à militante Ecclesia volunt ire ad triumphantem; oportet, quòd per mediam transcant pœnitentiâ: hæc enim est via. Aqua ponitur in labio, quando pœnitentiâ fit cum lacrymis, vel cum gratia. &c. Hugo Card. in Joan. c. 5.

Pherezaus. Ex. 23. 23. interpretatur divinus; & significat peccata mortalia, per quæ anima dividitur à Deo. Hæc tradidit Dominus in manus Judæ: quia virtute Confessionis tam venialia, quam mortalia dimittuntur. Hugo Card. in Judic. c. 1.

Sexcentos viros vomere. Judic. 3. 31. Glossa: vomer est Confessio: quia, sicut vomere aperitur, & scinditur, terra, ut semen recipiat; & fructificet; sic Confessione rescinditur terra